

LECTORI AEQVO OTHO BRVN  
felsius Medicinæ professor.

INTER tam multa scribendi argumenta, & genera, uidelicet Rationale, Artificiale, Historicum, Glossematicum, rerumq; omnigenum communes locos & status, haud scio, an ullum molestius extet, quam Lexicorum commentarios scribere. Nam tot uocum sylvas & turbas, seriatim in suas classes digererè, præterquam, quod res est, immensum laboris, tum tedi, etiam magistrum requirit, in bonorum scriptorum lectio ne diligenter uersatum, exercitatumq; maxime qui unius peculiariter disciplinæ uocabula uelit examissim inquirere. Facile enim est, uel mediocriter eruditio, de re quauis nugari quippiam. Scribimus enim, inquit Poeta, poemata passim indocti, doctiq; glosſa riorumq; & hypomnematarum πλεις καλικηιων. Atres ipsas scite, apposite, designateq; efferre, atq; ad Polycleti, quod dicitur, regulā exprimre, hoc opus, hic labor est, uix em protritissima quæq; suis recte proferimus uocabulis; tantū abest, ut disciplinarum genuinas uoces, synceras habeamus. Accedit studiorum præmium, gloria, & immortale nomen, quod ex nullis lucubrationibus paratur minus: cum nullum maiori constet molestia. Id quod in caussa esse reor, quod hodie tam pauci in ea palestra se exerceant, cum alioqui plures scribendi libros, ut inquit Solomon, nullus sit finis. Unde saepe mecum cogitauī, posse succurrī huic malo, si doctissimi aliquot viri, & idiomaticum, rerumq; ad prime periti, huiusmodi aliquid consilium ineant inter se, ut quilibet suæ disciplinæ uocabula emuncte restitueret, atq; conscriberet. Deinde singulis congettis in ordinem, a primis statim rudimentis huiusmodi iuuēnibus memoriae mandanda traderentur: ut explosis semel folidis ac coquinarīs illis, pura, ac nativa potius imbiberet. Sed id aliarum artium studiosi aliquando uiderint. Certe in re Medica, ueteris Pandectarū errata tam manifestaria sunt, ut prorsus perspecta nemini non sint, nisi qui sanæ eruditionis, ac ueterum scriptorum nihil unquam attigit. In quo tertia fere semper dictio corrupta, uitiataq; aut certe barbara, obsoleta, uel exotica est. Nec paulo diuersa omnia, ab Magorum & Necromanticorum præstigiosis nomenclaturis, ut nescias, rerumne, an malorum potius demoniorum sint nomina. Nec me fugit, clarissimum virum Leonardum Fuchsium, nouas huiusmodi Pandectas moliri. sic enim in cōmentarijs suis de Erratis Medicorū palam pollicetur, atq; nī fallor, annus tam agitur quintus: nec ullum librum unq; expectauī audius. Verum cum ille hactenus non prodit, uisum est aliquo modo preludere: non tam ut homini doctissimo calcar impungerem, quam ut morem quoq; gererem amicis meis, qui sine intermissione mihi molesti esse non desinunt, uel ἄχε κόρ. Quomodo autem comportauerimus uolumen, paucis accipe. Est is mihi mos, ut inter legendum punctim singula animaduertam, nihil conniveam, quod modo alicuius uidetur esse frugi, singula in suos ordines conscribam. ut de re qualibet scire aliquid uolenti, ex promptu id mihi suppeditent opistographi. Quod dum annis aliquot facio, ex historijs medicinalibus primum, Medicorum Cathalogū concinnauimus: ex gnomis, medicinales Theses: ex uocabulis presens Lexicon: ex rerum simplicium uestigatione, Latina & Germanica Herbaria. Restant morborum omnium Methodi. Ad postremum in omnes idoneos ac ueteres Medicos Index: quæ suo quoq; tempore dabimus. Tu interim Lector candide, ijsce fruere felicius, atq; uale, Bernę, ii. Februarij. Anno. M. D. XXXIII.